

De oudste particuliere oorkonden van Werden (Ed. Blok) Nr. 63

Notum fieri cupio omnibus tam presentibus quam futuris, qualiter ego Imma tradidi partem hereditatis mee ad ecclesiam sancti salvatoris que constructa est in pago Rigoariorum, in loco qui dicitur Uuerthina, super fluuio Rura; hoc est quod tradidi: in pago Sutrachi, in villa que dicitur Aldgreshem, terram XX animalium et dimidiam unius, et in alia villa terram XV animalium, que uocatur Kempinguuera, in ipso supradicto pago, et in tertia villa XII animalium terram, que dicitur In Uuestarburon in pago Uuestrachi. Traditumque in perpetuum esse uolo et primumtissima uoluntate confirmo et transtuli de mea potestate in illorum potestatem, ut post hunc diem habeant licentiam habendi, possidendi, commutandi, vel quicquid exinde facere uoluerint, liberam et firmissimam habeant ab omnibus potestatem.

Si quis uero, quod futurum esse non credo, si fuerit in postmodum ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, seu ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem a me factam venire uoluerit, aut eam infringere uel inmutare temptauerit, in primitus iram dei omnipotentis incurrat et a liminibus sanctorum effitatur extraneus; presensque traditio firma permaneat, stipulatione subnixa.

Acta est in Uuerthina monasterio, XIII kalendas septembrii, anno VI regni domni Hludouici regis, indictione VIII. Ego Thiathardus humilis diaconus rogatus scripsi et subscripsi.

Signum Imme qui hoc tradidit et propria manu firmavit.

Isti sunt uisores et auditores: Signum Reinberti. Signum Erpolfi. Signum Aldhardi.

Signum Uuichhardi. Signum Snelgeri. | Signum Erbaldi.

Signum Iti. | Signum Sigiuardi. Signum Heio.